



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Felicis Potestatis Panormitani Ordinis Minorum S.
Francisci de Observantia ... Examen Ecclesiasticum**

Potesta, Felice

Coloniæ, 1712

Cap. XI. De decima clausula. Aut cu[m] eis illicitos, & inhonestos
sermones, sive tractatus habuerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40060

temporis venerit in cognitionem sensus illorum verborum, & sic sollicitatis tunc cognita non potest dici facta immediate ante, vel post confessionem.

Hæc Bord. v. num. 611.

CAPUT XI.

De decima Clausula

Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.

550 **S**ub his verbis comprehenduntur etiam sermones inhonesti sine provocatione, nam hæc clausula est distincta à priori: *Sollicitare, vel provocare tentaverint*, & additur cum particula disjunctiva *aut*: quod non esset verum, imò clausula hæc esset superflua, si solum comprehendere sermones inhonestos cum provocatione, v. num. 528.

QUÆRES I.

551 **D**uo confessarii ita se habuerunt: unus proximè ad confessionem ante in somnum induxit feminam, quam sopitam cognovit, alter feminam, quæ confessionem petuit, non sui arte, sed proprio morbo somno sopitam cognovit. *An sint denunciandi?*

552 **S**ancius, & Trullench, apud Leandrum *tr. 5. de penit. disp. 3. qu. 33.* affirmant de primo, negant de secundo, quia ille est verè sollicitator, & provocator, iste verò est tantum fornicator, Bullæ autem sunt editæ, non contra Confessarios fornicantes proximè ad confessionem, sed contra sollicitantes.

553 **R**esp. utrumque esse denunciandum. Diana p. 10. *tr. 4. res. 43.* Leander *cit. primum*, quia verè sollicitavit, non verbo, sed opere feminam in confessione, aut proximè

ad confessionem, dum arte eam tunc ad somnum induxit ob inhonestam, Secundum, quæ licet proprie non sollicitavit, se provocavit, habuit tamen cum ea tractatum inhonestum, non verbo, sed opere, quod etiam quoque cum sit principalior effectus inhonestus, eodem rigore prohibetur per Bullam Greg. & licet in neutro casu mulier peccaverit, in utroque casu Confessarius iniquum intulit Sacramento.

QUÆRES II.

554 **A**n Confessarius pavorem de peccatore christiane laudans sit denunciandus?

Negat Ferras apud Dianam p. 4. *tr. 4. qu. 18.* quia mulierem de peccatore laudare non est sermones inhonestos habere.

Alliam Diana *cit. Peyr. Bonæ.* qui talis laudatio est graviter peccaminosa, nec est impertinens ad confessionem, sed de laudibus amantes solent mulieres tunc & incitare ad amorem, unde non sunt verba honesta.

555 **R**esp. cum distinctione. Est denunciandus, si nullus appareat finis honestæ laudis; quia tunc habet locum ratio sollicitæ sententiæ. Non est denunciandus, si finis honestus appareat: v. gr. si mulier comitatur de adulterio mariti, & Confessarius adit: *Tibi facit injuriam, quæ es pœnitentia nimis, rubicunda, &c.* tunc enim verba specificantur à fine non turpi, & ornata sollicitatione ad inhonestam.

Quòd si præfata verba laudis præstant à Confessario sine occasione, est denunciandus, quia tunc sunt impertinentia, & illicita. Diana p. 9. *tr. all. 9. res. 31.* qui in hoc sensu negat in p. 4. Idem tenent Tancito. 4. *de penit. q. 12.* & Bord. *cit. supra p. 1. n. 59.* qui monet proinde mulieres, ut non sint sollicitæ ad denunciandum, quatenus

hi possunt trahi in bonam sententiam, sed con-
fessant viros doctos, & timoratos, ne sine
causa Confessarios infament; & in dubio se
abstineant: ita ille.

Et ego moneo Confessarios, ut à simili-
bus laudibus, licet non ex turpi fine, omni-
no se ablineant, sintque prudentes, ac vigi-
lantes in verbis, & nullo pacto in hujusmodi
argutias se ponant. Nam confessionale non
est locus laudandi mulieres, sed reprehendi-
endi.

§ 56 Illud certum est: Confessarium esse
denunciandum, si dum audit confessionem
servat. laudet de pulchritudine dominam
suam, rogando, ut id illi reserret. Salelles
Reg. 152. num. 1: 8. quia talis laus excusari
non potest, cum tunc non alloquatur cum
domina.

QUÆRES III.

Casus duodecim.

§ 57 Primus Confessarius dixit penitenti:
Sessem secularis, tecum nubere.

2 Memor esto mei, quia te ex corde diligo.

3 Expella me hodie domi tua, quia habeo
tuum loqui.

4 Hac tua peccata cadere me fecerunt in
pulsionem involuntariam.

5 Mulieri confiteri volenti dixit: *Nolo te
audire in confessione, quia amore tui captus
sum, ne tibi, & mihi aliquid mali contin-
gat.*

6 Mulieri in confessione sollicitanti re-
spondit: *Est ne hic locus similia loquendi: seu
Fida, hic non est locus de hac materia lo-
quendi.*

7 Vel respondit eidem: *Deest ne locus aut
tempus hac loquendi?*

8 Suam concubinam objurgavit ex zelo-
typia, quod cum alio se immiscuerit.

9 Dixit: Cur etiam mecum non est hu-
mana?

10 Dixit: *Veniam in domum, & promitte
mihi facere, quod voluero.*

11 Mulieri confitenti desiderium libidi-
nosum dixit: *De hac agas mecum post Con-
fessionem.*

12 Mulieri in confessione sapienter gravi-
ter conquerenti de verbis turpibus sibi à
quodam juvene dictis, dixit: *Qui caput ob-
tundis, certe, si alius carus tibi dixisset, non
quæstiones. An sint denunciandi?*

In his, & similibus casibus, ut locum ha-
beat difficultas, omnino supponendum est,
hujusmodi fractiones factas esse in confessio-
ne, aut proximè ad confessionem immediate
ante, aut post, vel occasione, aut pretextu
confessionis, vel in confessionario, aut cum
simulatione confessionis, juxta septem capita
denuntiationis ex n. 57. extra quæ si con-
tingant, nullo pacto parviunt onus denuntia-
tionis: hoc præmissis.

§ 58 Ad primum, & secundum, negat
Bord. n. 54. quia verba non important pec-
catum mortale, & solum explicant pudicum
affectum, qui reperitur inter conjuges.

Resp. utrumque esse denunciandum. Di-
ana p. 9. tr. 9. ref. 32. quia præfata verba sine
aliqua occasione in confessione dicta, sunt
impertinentia ad confessionem, & excitati-
va ad venerem, ac proinde inhonesta, non
minus quam verba laudis sine aliqua occasi-
one dicta, ex n. 556.

§ 59 Ad 3. Resolutio pendet ex exitu tra-
ctatus in domo, nam si tractatus est inhone-
stus, juxta dicta in nu. 506. Confessarius est
denuntiandus, quia sollicitatio, licet sit facta
in domo post confessionem, dicitur tamen
moraliter facta in confessione, quatenus est
moraliter conjuncta cum verbis habitis in
confessione per se ordinatis ad tractatum in-
honestum

Nnnn 3

honestum in domo; nam animus ex facto etiam nullo, & sola attentione declaratur, l. legatum, §. fin. ff. de alim. legat. & factum alicujus ipsum iudicat. l. cum probatio, ff. de probat. Bord. in man. Consult. sect. 2 §. v. n. 563.

560 Ad 4. Resp. esse denunciandum. Bord. n. 54. quia ille est sermo valde mentem penitentis conturbans in ordine venereo, ac proinde inhonestus, & multò magis, si aperiat delectationem, aut pollutionem voluntariam intra confessionem habitam. Non est autem denunciandus, si id aperiat mulieri extra confessionem, quia non habentur capita relata n. 557. Leander tr. 5. de penit. dis. 13. g. 14.

561 Ad 5. negat Bord. n. 55. quia per ea verba potius colligitur detestatio sollicitationis ob malum, quòd sequeretur.

Resp. tamen esse denunciandum. Trimarctus disp. 3. sect. 3. n. 33. de sollicit. quia per illa verba fit ostentio amoris venerei, & illa dissuasio est vera inductio, & provocatio ad inhonesta callide palliata timore mali.

562 Ad 6. Resp. non esse denunciandum, nec esse casum sollicitationis, quia per verba illa Confessarius præcisè dissuadet mulierem à malo, & ei declarat reverentiam debitam loco.

563 Ad 7. Resp. esse denunciandum; quia verba illa clarè suggerunt locum, & tempus mulieri, quo tractatum inhonestum habeat; adeoque sunt inhonesta.

564 Ad 8. Resp. cum distinctione: vel objurgatio est talis, ut iudicio prudenti non faciat dignoscere, quòd procedat ex zelotypia: talis est, si sit modesta & pura reprehensio medicinalis peccati, qua regulariter Confessarii timorati, & prudentes uti solent: & tunc non est denunciandus, quia reprehendere peccata carnis est virtuosum; nec est novum, quòd Sacerdos inhonestus, & perdi-

tus, dum gerit rem peccatoris, sit tamen honestus, & vigilans, dum subit unctus Minister Christi, Neque obstat, si Confessarius verà moveatur ex zelotypia, quia ob hoc, & verba externa reprehensionis honesta [supponimus] non faciant illam dignoscere, erit tantum zelotypia interna, & sollicitamente retenta, quæ non subiacet Bullæ denunciatiõis.

Vel objurgatio est talis, ut iudicio prudenti faciat dignoscere, quòd procedat ex zelotypia: talis est, si excedat limites modestæ reprehensionis peccati: talis inquam est, si mulier confessa est peccata carnis commisitam cum alio, quam cum ipso Confessario, & Confessarius eam objurgat solum de commissis cum alio. Aut reprehensio est invidiosa, ut addat minas, injurias, vel alia verba, & verba, quæ zelotypiam ostendunt: tunc est denunciandus, quia talis actio est provocativa ad lasciviam, aut saltem est ipsam ostensivum amoris lascivi.

Nec aliud [si attentè considerentur] attendunt Leander cit. g. 16. dum affirmat, de Freiras, apud Dianam p. 4. tr. 5. ref. 4. dum negat esse denunciandum, & Tancred. resp. 22. dum ait, non censeri loqui turpia, nisi sollicitare, nisi addat alia verba, v. g. non vis, aut quid simile.

565 Ad 9. 10. & 11. Resp. esse denunciandum. Tancredi ro. 4. tr. 1. de Penit. p. 17. quia sunt verba ostensiva incontinentiæ inhoneste.

566 Ad 12. Resp. Tancred. cit. g. 2. quod Confessarius sit imprudens revocandi in memoriam alterius amorem, ac non denunciandus; quia illa verba nec sunt turpia, nec excitativa ad peccandum cum alio, sed sunt objurgativa nimie affectionis mulieris.

QUÆRES IV.

Casus quinque.

Primus. Confessarius dedit mulieri in confessione chartam sollicitationis, postea tamen legendam.

2. Post auditam confessionem mulieris missio eius domum litteras sollicitationis, aut litem, qui illam induceret ad inhonestam.

3. Dedit mulieri immediatè post confessionem donum insolitum, v. gr. anulum, nullam explicando causam.

4. Consultavit mulieri conjugata in confessione homicidium sui viri.

5. De penitenti in confessione pecuniam, ut iam tribuat sua meretrici. Vel ab ea petita summas, ut eo adducat suam concubinam.

De denuntiando:

167 R Esp. ad 1. esse denuntiandum ob dicta in nn. 507. ex Decr. Alexand. VII. prop. 6. die 24. Septemb. 1665. etiam si Confessarius dixisset, litteram illam ad eam mittere suam consanguineum. Nam in traditione incipit sollicitatio, & in lectione perducitur. Quòd si mulier Epistolam non legeret, sed combureret, non esset denuntiandum, quia ignorat, quid contineatur, nisi Confessarius per verba, aut signa exprexisset. Bord. n. 56.

168 Ad 2. Resp. non esse denuntiandum. Diana p. 1. tr. 4. ref. 14. in fine. ob rationes de n. 503. & 504. nisi de tali missione monuerit penitentem, juxta dicta in n. 508. Bord. in max. consult. sect. 25. n. 88.

169 Ad 3. Difficultas non procedit de dono spirituali, aut religioso, sed de insolito, puta si donaret anulum mulieri, pugionem, aut quid simile puero.

Affirmat Trimarchus, apud Bord. n. 60. quia dona magis alliciunt, quàm verba. Item mulier [ut supponitur] nec est pauper, nec

annulum perdidit: ergo potest de affectu venereo suspicari, & sic provocari ad libidinem.

Negat Bord. cit. n. 61. quia donum non ordinatur ex natura sua ad venerea, adeoque non est signum sufficiens, ut mulier suspicetur amorem venereum. Tum quia mulier sic suspicans temere suspicaretur, & peccaret, quoniam posset donantis intentionem in bonam partem sumere, nempe in gratitudinem, si ipsa beneficium aliquod ei attulerit, vel ex liberali largitione ex affectu paterno spirituali. Eo præsertim, quia quilibet est præsumendus bonus, nisi certò constet, quòd sit malus. Adeoque talis Confessarius non est denuntiandus, nisi inhonestam intentionem, dum donavit, signis, aut verbis expressisset; & tunc esset denuntiandus ob hujusmodi signa. Diana p. 9. tr. 9. ref. 34. adhæret Bordonio, quando donum est minimi valoris, v. gr. ramusculus, flos, &c. adhæret verò Timarcho, quando attentis circumstantiis personarum, est magni valoris.

570 Difficultas est de Confessario, qui in actu, aut occasione confessionis dedit donum insolitum mulieri, v. gr. anulum, nil dicens; post aliquos autem dies accessit ad ejus domum, & cum ea inhonesta tractavit.

Non esse denuntiandum, teset Tancredi tom. 4. tr. 1. de penit. qn. 11. quia illa donatio nec est implicitè, nec explicitè sollicitatio, aut tractatus inhonestus: & prava illa voluntas potuit contingere tempore intermedio.

Dico tamen esse denuntiandum, juxta dicta n. 506. 507. & 559. quoniam exitus probat donum fuisse datum animo alliciendi ad inhonesta opportuno tempore tractanda. Unde quando fuit datum, incepit sollicitatio, nempe in actu confessionis, quòd verò post dies fuit externè

exterius ostensus animus inhonestus, incepit in muliere onus denuntiandi.

Imò, licet donum spirituale, aut temporale solitum datum mulieri immediatè post confessionem non sit ex se sollicitatio, sed signum benevolentia, ac gratitudinis, & actus indifferens magis inclinans ad bonum, quam ad malum affectum; talis tamen erit, si paulò post sequatur provocatio ad inhonestam, & tunc pariet onus denuntiationis: Bord. *in man. consult. sect. 25. n. 19.*

571 Ad 4. negat Bord. n. 60. quia homicidium, & consilium ad illud, nec est formaliter, nec virtualiter sollicitatio. Nec officit, quòd secuto homicidio Confessarius habeat rem cum muliere; quia talis actus turpis, licet pendeat ex homicidio, quatenus vivente viro deerat opportunitas; non pendet immediatè à confessione, cum mediet homicidium.

Ceterum puto, resolutionem pendere debere ex exitu, *juxta dictam. 506. §. 559.* si enim secuto homicidio Confessarius mulierem requisivit de inhonestis, est denuntiandus; quia factum dat intelligere, consilium de homicidio in confessione datum fuisse ob inhonesta expedite tractanda, & ut se liberaret à difficultate viri; ac proinde actus inhonestus, licet sit physicè à confessione remotus, est tamen moraliter proximus illi, ut potè conjunctus moraliter cum consilio homicidii in confessione dato. Tum quia homicidium in tali casu est medium assumptum ad finem inhonestum; & quia medium sumit etiam malitiam à fine, sequitur, quòd consilium de homicidio, nedum habeat malitiam propriam homicidii, verum etiam inhonestatis; ac proinde cum fuerit in confessione, habitus est tractatus inhonestus in confessione.

572 Ad 5. non esse denuntiandum tunc Soufa apud Dianam p. 4. n. 5. ref. 4. Bord. n. 62. quia hi duo actus, inhonestatem aliquam videantur habere possibiles tamen illam ex per se primo corpore nam traditio pecunie pro mercede non est inductio ad peccandum inhonestum, sed effectus usus inhonesti ipsius corporis; præsumitur enim tradi in mercedem non pravi habitus, quam potest mulier pro corpore; unde traditio illa pecunie non est promissa, sed ex justitia debita ut mercedem prostitutionis proprii corporis; licet, ut que stat, quòd causa sit mala, & effectus bonus; mala namque est sollicitatio, non est mala susceptio proinde sequens traditio ergo pecunie mercedis ob meritum traditum proprii corporis, cum non sit, sed debita, non est inhonesta, nec actus ad inhonesta, bene verò ad actum qui exercendum.

Item petitio domus est actus sollicitationis. Nec officit, quòd sit conductio, nec peccatum carnis non fiet, quia hoc sufficit ad sollicitationem, quæ debet pendere à confessione immediatè, non ab aliquo tertio medio.

Resp. tamen, quòd licet opinio ista possit esse probabilis, quanto peccatum est præsumere, quòd pecunia deat in mercedem actus habitus, quando dicitur illi non constat oppositum, & non stat, quòd Confessarius sit cum tali muliere habitatus; omnino tamen dico, non denuntiandum, quando pecunia tradenda mulieri, cum qua peccatum est Confessarium esse habitatum; quia traditio pecunie non est pura merces a Contractu inhonesti præteriti, sed simul est allectio mulieris ad actus inhonestos futuros, quæ licet sit promptior ad prostitutionem

non corpus; unde talis traditio pecunie fit
imulter inhonesta inhonestate effectus, ac
perinde subiacet oneri denuntiacionis.
577 Eadem ratione denuntiandus est Con-
fessarius, qui a penitente petit domum, ut eò
collocet suam concubinam; quia talis petitio
domus est formaliter inhonesta ex effectu
hoc qui accomodat domum pro meretri-
cio, peccato contrahente malitiam in-
honestatis ipsius effectus, quoniam est causa
participans, cum det commoditatem ad in-
honestam.

574 Idem dico, si Confessarius petat do-
mum, ut solus cum sola alloquatur eam mulie-
re bonae famae; quia talis petitio iudicio pru-
denti, & ex regulariter contingentibus est
suspecta de inhonestate tractanda, quoniam
pro illo cione honesta quantum vis secreta
cum muliere non deficienti loca honesta non
suspecta, & aptiora in Ecclesia. Id autem di-
co, nisi ad sit circumstantia talis, quae faciat
prudenter dignoscere sine inhonestum; in-
honestate namque effectus seclusa, inhonesti-
tatem est huiusmodi petitio domus.

QUAERES V.

Quinque Casus.

- 575 Primo. Quando verba, vel signa
sunt dubia, Confessarius sit denuntiandus?
- 2 An mulier, si sollicitationi consentiat, re-
netur denuntiare Confessarium?
- 3 An sit denuntiandus Confessarius, si soli-
citus a foemina, sollicitationi consentiat?
- 4 An sit denuntiandus Confessarius, si ipse,
foemina mutuo se sollicitent, primo tamen se-
mina, & postea Confessarius?
- 5 An sit denuntiandus, si sollicitatus a fo-
emina ad copulam renuat, dicens se velle tan-
tum iactibus oblectare?

576 Ad primum affirmat Dian. p. 4. tr. 5.
ref. 25. Soula, & Peyr. apud ipsum
Poteff. Exam. Ecclesiast. Tom. II.

quia possunt Inquisitores interrogare Confes-
sarium circa factum, aut verbum dubium, ad
explorandam ipsius mentem, adeoque verba, &
signa dubia subiacent oneri denuntiacionis.

Negat Bord. num. 59. Et 61. cujus ratio est,
quia Bulla Greg. punit certam, non praesum-
ptam sollicitationem n. 596.

577 Ad 2. negant Suarez, & Hurtado a-
pud Leandrun ver. 5. de penis disp. 1.3. qu. 43.

Quia complex delicti in nulla materia de-
nuntiare tenetur. Tum quia talis mulier ho-
nesta denuntiando timet grave damnum in
fama; nam Confessarius ad suum inven-
dum delictum, confiteretur coram Tribuna-
li, se cum ea actus inhonestos habuisse, sed il-
la consentiente. Hanc opinionem sequitur
Thomas Hurt. in casu, quo non possit mulier
denuntiare, quin suum manifestet consensum.

Resp. omnino esse denuntiandum. Leander
cit. Diana p. 4. tr. 5. ref. 31. & ita declaratum est
per Congr. S. R. V. Inquisitionis die 27. Sept.
1624. apud Donatum 10. 3. tr. 13. q. 51. quia ex
una parte vera habetur sollicitatio in confes-
sione, ut supponitur; ex alia parte consensus
mulieris ipsam non eximit a denuntiando, ut
constat solvendo rationes in oppositum.

578 Et primo mulier consentiens in casu
sollicitationis, & in Tribunali Inquis. non est
complex delicti; quia delictum ad sacrum
Tribunal spectans, non est actus inhonestus
adeoque sumptus, ut includit Confessarii, &
penitentis consensum; sed solum, ut includit
Confessarii consensum, seu ut praecise est a
Confessario; unde mulier denuntians a Saero
Tribunali non accipitur, ut complex, sed ut
testis, nec tenetur suum manifestare consen-
sum, imò nec de eo potest a Tribunali inter-
rogari: quod si ipsa ex simplicitate illum de-
claret, in actis non ponitur. 494.

Secundo, nullum est illi infamiae pericu-
lum; quia Sacrum Tribunal non dat fidem
Con-

Ooooo

Con-

Confessario, sed credit id dicere ad iudiciu in evadendum, aut pœnam minuendam. Ex alia parte ipsa mulier non tenetur sicut manifestare confessum, nec de eo S. Tribunal curat, n. 494.

579 Ad 3. negant Peyr. Bonac. Port. Castropal. Tho. Hort. Freitas, & alii apud Leandrum *en. qu. 20. Bord. n. 78. Et in man. consult. sect. 2. n. 169.* Homob. Lezana, Bossius, Delbene apud ipsum, & Donatus *tom. 3. n. 23. q. 52.* quia Bull. Greg. solum loquitur de pœnitentibus sollicitatis: *Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitos.* Unde cum in casu Confessarius non sit sollicitans, sed sollicitatus, non venit denunciandus.

Resp. esse denunciandum. Diana *p. 4. n. 5. ref. 4. S. 42.* Leander *en. & Fagundez;* quia Confessarius sollicitationi consentiens, licet non sit sollicitator, seu provocator, sed sollicitatus, verè tamen habet inhonestos sermones, seu tractatus prætextu confessionis; unde comprehenditur in Bulla Greg. non quoad nomam, sed quoad decimam clausulam.

580 Major difficultas est, si Confessarius nil respon- dit, sed tacuit.

Resp. cum distinctione; & 1. Vel Confessarius ita tacuit, ut nullum dederit signum reprobativum, sed ipso immoto permisit mulieri liberè inhonestam tractatum prosequi, & sic est denunciandus, quia qui tacet, consentire videtur; & maxime in circumstantiis loci, & actus sacramentalis, quem exercebat, quæ nullo pacto permittunt, ut in simili casu Confessarius perleveret ibi quietus, & talem perversam mulierem acriter non reprehendat. Tum quia tractatus inhonestus est inter plures, quorum unus sufficit, quod sit actor, alter patiens, & acceptans, ut liquet de audiente detractorem, qui est peccati detractio-

nis particeps audiendo, potens libet impetere, aut abire. Unde cum talis sit in casu Confessarius, verè dicitur tractatum inhonestum habere, *num. 545.*

2 Vel si tunc muliere relicta auferat. Aliter est laudandus, quia in materia carnis vitia habetur per fugam. Nec talis mulier audit pro sacramento, sed pro sacrilegio. Est maior dissensus, quam terga vertere mulier sollicitanti? Quod si postea accedit ad copulandum, & rem habeat, est Reus peccati, sed non in Ballam; quia nullum legitimum ternum consensum dedit in confessione, licet interius consenserit.

Vel 3. Confessarius tacuit, quatenus, modo timoratus simul, & pusillanimis, perinde expectatâ perversitate mulieris, rem in pœ confusionem immotus; & hic nullo pacto Reus, sed pusillanimis, nec est veniendus, quia callida mulier ex signis faciet, & cogitationis id non dignoscat. In dubio *n. 100.*

581 Ad 4. difficultas non est in casu, quia Confessarius primò sollicitet, quia tunc tamen in secundo casu. Nec quando Confessarius à pœnitente sollicitatus sollicitationi tacite consentit; quia tunc sumus in ratione. Sed in casu, quo sollicitatio à muliere facta interruptitur, & postea Confessarius non rem nil de sua sollicitatione dicentem dicitur ex parte sua; quæ interruptio utpote contingere potest, 1. Directè per actum contrarium dissentiendo, 2. Indirectè mulierem alia divertendo, 3. Eam ad alium peccatum luxuriæ provocando, puta si mulier sollicitat ad copulam naturalem, & Confessarius innaturalem, hoc præmisso cum Bonac. & Bord. *en. n. 71. 76. S. 77.* contra Peyr. Castropal. & Acugniam apud Leandrum, verè tractatū habuit inhonestum. Imo est sollicitator, & provocator, nam in 2. & 3.

hinc interruptione sollicitationis factæ à muliere, sollicitatio deinde facta à Confessario, licet sit occasio facta à sollicitatione mulieris, est vera provocatio. Et in casu verè Confessarius dicitur primò sollicitare, & provocare mulierem ad speciem inhonestam, ad quam non provocavit mulier.

582 Ad 5. negat Bord. num. 77. quia Confessarius sollicitatus à muliere ad copulam, nec pollutionem, si sit contentus solis osculis, & tactibus, non dicitur sollicitator, sed solum consentiens in actus, ad quos censetur à muliere provocatus, dum ab ea fuit provocatus ad copulam, vel pollutionem, ad quam sunt actus prævii, & dispositiones; *juxta illa num. 480.*

Resp. Esse denuntiandum. Leander. q. 21. Dona 4. p. r. 5. ref. 13. quia verè habet tractatum inhonestum in confessione: *v. num. 580.*

QUÆRES VI

583 Confessarius vocatus à muliere fingente se infirmam domi pro sui confessione audientem, ad eam accessit, & ab ea fuit sollicitatus ad copulam, & Confessarius, ut sp. a. minas adit dicens: se exclamaturam vim sibi inferrè, nisi consentiat hinc ex metu infamia Confessarius sollicitationi consentit. An denuntiandus?

Affirmat esse denuntiandum Carena part. 2. tit. 4. §. 19. num. 94. quia verè habuit tractatum inhonestum occasione confessionis. Nec metus excusat, quia non est cadens in vitium constantem, sed levis.

584 Negant esse denuntiandum Sancius, Acogna, Peyr. Trullench, Freiras, quos refert, & sequitur Leander c. p. 23. Diana p. 4. r. 5. ref. 13. quia ejus consensus ad inhonesta non est voluntarius, sed extortus per vim, & metum gravem, electus ad vitandam infamiam, que est grave damnum, quod in casu prudenter, &

probabiliter ex mulieris vociferatione timetur, & metus gravis, qualis est metus infamie excusat à Constitutione Greg. nam excusat à lege positiva, & humana. Tum quia non Confessarius occasione confessionis habuit tractatus inhonestos, sed femina, & Confessarius passivè se habuit, cum accesserit animo audiendi, non sollicitandi; femina inquam, non Confessarius occasionem, seu pretextum confessionis accepit ad sollicitandum; cum autem Bulla Greg. loquatur de Confessarii tractatus inhonestos habentibus occasione confessionis, non de feminis, sequitur, quòd nec Confessarius, nec femina sint denunciandi, quatenus casus non est comprehensus in Bulla Greg. ita Joseph. de Januario de cas. reserv. ref. 58. v. som. 1. de legibus ver. metus.

585 Diana denique p. 10. r. 14. ref. 50. medià vià incedens, ait, talem Confessarium puniendum esse ab Inquisitoribus, non pœnà ordinariâ sed extraordinariâ; nec debere abjurare, quia ex cap. Sacris de iis que videntur licet metus attenuet culpam, non tamen eam profus excusat. idem novissimè sentit Bord. in Man. consul. sect. 25. num. 242.

QUÆRES VII.

586 Mulier amore captâ Confessarii fecit amatorias incantationes quibus arte demonis accensus Confessarius in Confessionario, ejus à-mori consentit. An denuntiandus?

Resp. Taner. tom. 4. r. 1. de Pœnit. q. 20. quòd licet de hoc casu videatur posse discutri, sicut de metu gravi: sit tamen denuntiandus, quia demon suâ arte non privat libertate, nisi fortè Confessarius aliquo pacto dementaret: mitius tamen est puniendus. Ita ille.

Ooooo 2 QUÆ

QUÆRES VIII.

587 Confessarius tentavit in domo mulierem, quæ solum osculis consensit, non facti accessit: mulier præ confessione ad præfatum Confessarium, qui cum audiret in confessione oscula præterita, & repulsam circa factum, dixit mulieri: & si ille vim tibi intulisset, quid fecisses: cui illa respondit: in tali casu cessissem. Tunc Confessarius graviter eam reprehendit, & ad resistendum suasit, quo premissis, & confessione peracta Confessarius post vespertas, aut sequenti die accessit ad domum mulieris, & eam ductam solam in quoddam cubiculum, nullis verbis præmissis, sed manibus datis, cognovit. An denunciandus?

Negat Tancr. c. 11. quæst. 26. quia illa occasio confessionis est remota, non proxima. Tum quia hic non dicitur peccare ex occasione, sed ex cognitione confessionis, unde sicut non est denunciandus Confessarius, qui audita confessione mulieris (quæ non cognovisset, si non audivisset) accedit ad ejus domum, &c. ut à numer. 503. & tractat in honesta, ita nec in casu.

Respondeo, esse denunciandum, etiam si non esset secutus effectus, quia sollicitavit in actu confessionis; nam interrogatio illa fuit impertinens ad confessionem, & inhonestâ; quoniam fuit callida requisitio modi pro obtinendo suo pravo fine: v. n. 506.

QUÆRES IX.

588 Confessarius mulieri, quæ in confessione se accusavit de turpi desiderio, dixit: tu non patraisti, quod cupiebas; sed si quis tibi daret quantitatem pecuniæ, id ageres? An sit denunciandus?

Resp. cum distinctione, vel mulier respondit affirmativè, vel negativè.

Si respondit affirmativè, & Confessarius tacuit, & eam non reprehendit, ut patet Reus sollicitationis, & denunciandus. Tacet. Si eam reprehendit, tunc solutio detur ex exitu. Si enim postea accessit ad domum, & pecuniam obtulit pro reatu, Reus est sollicitationis, juxta dicta n. 587.

Si respondit negativè, & sic fuit absoluitur Bordonus in Trib. fidei cap. 23. n. 111. vel non esse denunciandum, quia talis sollicitatio sumi potest in bonum sententia: potest enim dici facta in ordine ad habendam bonam dispositionem penitentis, an solvere sollicitatione: si namq; mulier affirmavit, eam non absolvisset.

Ad Bord. non potest hujusmodi Confessorium à nota imprudente extimere, cum dicta n. 566.

CAPUT XII.

De secunda Clausula.

589 **M**andantes omnibus Confessoribus, suos penitentes, quos non viderint se ab aliis, ut supra sollicitatos, momentaneè investigatione denunciandi sollicitatos, si præfertur, tractantes, inquisitoribus, seu inquisitoribus ordinariis.

Pœnitens sub mortali denunciante tenetur Confessarium sui sollicitatorem; quæ agit de re gravi, & de abusu sacramenti, etiam si semel eam sollicitaverit, quia semel sollicitator, est verè sollicitator, de quo loquitur Bala. Imò qui semel sollicitavit unam, sollicitatus, quod sollicitaverit plures, n. 281.

590 Denunciare tenetur ille, qui sollicitationem, quatenus casu vidit, non auditu proprio auriibus. Etiam ille, qui sollicitationem auditu immediato, scilicet ex ore ipsius Confessarii sollicitatoris, aut penitentis sollicitati, seu bonæ famæ. Nisi non bene recordetur.